

Die
ss

not

#

- 1) Schr. *Niller* de pinguisse Ciceronis
 2) *Ideam de obediencia institutione beke ac sapientia ad priuatum cuiusq; et publicam utilitatem amperende*
 3) *Ideam de Iesu Christi in amplificanda trinitate, et unitate providentia*
 4) *Ideam de cathechetico veteris ecclesiarum doceundi genere.*
 5) *Ideam de Angelis: Id circa fidem, fidei certitudine, et velut genio naturi*
 6) *Nahymachus de diuinorum uerborum præparatione ea ergo dicitur & euag elie Leavenstratiorum.*
 7) *Ideam de naturali theologia Ciceronis sed: II. M. V. VI.*
 8) *Ideam de natura: bholi Ciceronis sed: III. M. V. VI.*
 9) *Wagner de via pectorum sente ad hanc uerbi operis vocationis manifestata.*
 10) *Ideam de misericordia ac praefectura fidei exposita a M. Attilio Regulo edito. A. de Filiis labor exposita.*
 11) *Ideam de sacra mentium ex exceptione.*
 12) *Ideam de hominibus potius quam genio animis inuidis*
 13) *Kuhnicus de grammaticalizatione latiniuom fide non semper bona, ad s. P. Carpzovium.*
 14) *Nahymachus de sycretismo Philosphiae, et theologie reuelatae. Diff. Ital.*
 15) *Welleranus de fato fisco. Diff. phil.*
 16) *Christius de magistris utrumque in scolasticis.*
 17) *Poeta des metras corplacente*
 18) *Roman: Toller de argumento theologico*
 19) *Nahymachus de oblatione letanorum*
 20) *Carpzovii retorica flauianarum frumentorum*
 21) *Haeckelius de meritis Reicneri Seuerini in historiam et anno: huius Carol:*
 22) *Wickramus de defensione nocentis Ciceroni protulata ad officium: II. 14.*
 23) *Uedelius oratio in inaugurationem rectorum Nahymachorum*
 24) *Chilesius de tota libellis: Angustini et sciolio hepponeus.*
 25) *Eusebi de adamino c. d. q. R. discobolus: origine*
 26) *Deis de die Procurator.*
 27) *Lentius de privata veterum Romanorum disciplina*
 28) *Hochzel et de incipitu*
 29) *Christius des mortis aduersitatis inter India litterarum regenatio*
 30) *Eustenius carmen de mortuorum nativorum praefunctione*
 31) *Müller de fatus agitis musicae*
 32) *Wernherius Oratorius dies natalem Frederici V. danice regis*
 33) *Deylingus Prognos: in uite et promulgatione trium Theodiscientium*
 34) *Walleffus: in natalem Caroli Br. et L. decim: una cum decade II episs: Melanchthonis*
 35) *Walterius de Iesu Christi in amplificanda trinitate, et unitate providentia*
 36) *Walterius de Melanchthonis: in proposito*
 37) *omni die Nuda plebis plenior numeri discipuli loc: Preceptaria tecum Effici.*
 38) *Bartelsius de loqueli in belli omnium potestate. rep. epis. 10.*
 39) *Ideam de columna rotunda C. D. L. M. S. Cos.*
 40) *Capitolio de interprete scripturae grammatico*
 41) *Wependorfus de fontibus historie et niae in lit. Sacral:*
 42) *Nahymachus de litterarum romanarum*
 43) *Corporis de sacra scripturis et de scripturis carmine.*
 44) *Poete de uita animalium naturale*
 45) *Upping de interpretationibus philosophicis*
 46) *Gruber de interpretationibus scripturarum herc. ianuio formando*
 47) *Casparius interpretatio loci Act: XIII. 21-39 Propterea*
 48) *Cuddeus proposito de fabria spiritu, et brevitate eius: chaf. V. 18. 19*
 49) *Hentzelius proposito de scripturarum interpretatione*
 50) *Vetus de scolasticis litterarum carmine p. 9. diff.*
 51) *Solusius de Nomina nisi disputantibus scriptura causa ad hanc: Tunc. II. 23. ad viros clariſſ. IV. apud. Iul. Cast. de regnante*
 52) *Friedrich de commentario in lequeu. Nachi, in qua per se propter opus et de scripturam longius ad viros III clariſſ. et ann. regnante*

52. Boile de bonis angelis dei fratris proprio
A Nigro ad dictum Nepodi EPP: v. LX maior natus.

Lectio quæ cyprianus habet Pauli

47 - A.T. X III. 31 - 38.
48 - Eph. V. 18 - 19.
51 - 2 Tim: II. 23.

M. IOANNIS PETRI MILLERI

SCHOLAE HELMSTADIENSIS RECTORIS

DE

SHOLASTICA INSTITVTIONE
BENE AC SAPIENTER AD PRIVATAM
CVIVSQVE ET PVBLICAM VTLI-
TATEM COMPONENDA

PROGRAMMA

AVSPICII CAVSSA EDITVM.



HELMSTADII

TYPIS EXSCRIBEBAT MICHAEL GVNTHER LEVCKART.

W. 1072 K. 12. B. 1. 1. M. 1772
SCHOLASTICA HERZLICHEN
DENN AG SAVINUS AD LIBAVATAM
CIVISAGE ET BARTOW ALI.
TATUM. OCTOBRI 1772.

PROGRAMMA

ANNA MARIA CLOTHILDE, GRANDE DUCHESSE



LIBRARIUS

URN:NBN:DE:GBV:3:1-781035-p0006-8



LECTVRIS

S.



Et sane in more positum, ut ii, quibus in academiis, aut in scholis litteras publice docendi prouincia traditur, priusquam ritte eam capiant, rationem, quam in illa administranda sequi volunt, paucis explicant. Maiorum hoc institutum satis per se iam commendatum, ego quidem omnium minime neglecturus, statui, quid de Scholarum ratione sentiam, tribus, quod aiunt, verbis iam explicare.

Atque vt hic quidem primo necessitatem et utilitatem institutionis puerilis aetatis collaudem, aut defendam multis verbis, necesse non est. (*) Quidni enim stipitem vocaueris

A 2

caueris

(*) Sunt v. c. inter elegantissimi MURETI orationes, tres in laudem litterarum aduersus quosdam earum vituperatores dictae. v. pag. 11. 22. et 214. edit. Liff. Iac. Thomasti.

caueris hunc, cui rude et agreste lignum placuerit magis, quam affabre quidam sculptus ex eo Mercurius? Reddit demum auro et argento suum decus, quo reliquis metallis antecellunt, sollers artificis manus, quae, nisi illa diu et varie tractauerit, scoriis ita deformata iacebunt semper, vix ut a lapide, aut ferro ignobili, ea discerneres. Quae, quo dicta sint, vt indicem, nemo a me sapiens requiret. Vnus enim quisque, etiam si Sphingem domi non habeat, ad hominem haec translatâ esse, nullo negotio intelliget. Quodsi enim siue formam corporis nostri, siue vires illius tantum species, parum certe nos aut nihil a reliquis differre animantibus, si autem ingenium et variarum artium ab eo inuentarum multitudinem, tum vero videbis, quam longissime distare: scilicet

*Separat haec nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti,
Sensem a caelesti demissum traximus arce.*

I V V E N. Sat. XV.

Nulla praeterea fides pietasque populis esset futura, nisi pura et perspicua rerum diuinarum cognitione imbuti emendarentur, iustique et aequi aeterna ac sancta iura scite describerentur. Quid multa? Nisi litterarum et artium multarum accesserit lumen, tantus huic orbi pulchritudinis inesse splendor haudquam videretur, paucissimique mortaliū adspicere tam idoneae conformatioñis singulorum naturae vniuersae membrorum stupescerent, nisi animi cultura sapientem, rusticō acutiorem, magisque attentum tantarum rerum spectatorem, efficerit, et multo prudentius vti iis, eum docuerit. Sed mittamus omnes Erutos et Crassos

ad

ad Getas et Sarmatas, homines ipsis, quam nobis similiores. At, quo me vestri amor, amabiles scientiae, quo vestræ me deliciae abripuerent? Cum laruis videor et cum umbris depugnare. Quis enim vos vnquam vituperauit? Aut quotusquisque est tam ab omni humanitate relictus pater, qui puerum bonae indolis non illico formandum magistro traderet? Scio, recordor.

At de eligendo tamen fingendi puerilis ingenii artifice magnam hodie, et arduam quidem, oriri quaestione, memini: publicusne, an vero priuatus magister eligatur potius? Hunc Caius, homo diues et grauis, illum Maeuius anterendum esse pronuntiat. Perplexam et odiosam item Lectores, attendite. Eam vero quis dextre dirimet? Num egone forsan? Caius intercedit, negatque, cuius res agatur, eum iudicis partes tueri posse. Quid ergo? Num obsoletum illud: *NON LIQVET* iterabimus? an vero libere feremus aequam sententiam? Ego quidem tantum mihi non sumerem. Saltem partes quasdam muneris doctoris simpliciter describam; qua perorata caussa vos ipsi iudicetis, Lectores, velim, num hominis sit vnius, his omnibus rebus satis facere? Sumeimus autem pueros nostros, vt a natura sunt, nudos nimirum a scientia, hinc ad praeclara quaevis, illinc ad praua vndeconque inuitatos, et, quibus rebus instruendi fint scientisque ornandi, paucis, age, videbimus.

Principio id mihi concedi ab omnibus cuperem, non nobis, nec parentibus solis, sed reipublicae nos omnes nasci. Est autem respublica vastum quoddam corpus, tot membris, quot ciues habet, instructum, qui conformari omnes ita debent, prout conuenientia id, et compagis totius proportio, ac firmitas constans requirit. Illud vero dispercere, certe non priuatae, sed publicae est prudentiae. Qua

in re, vt in aliis multis, magno nobis opere laudanda est sapientia Lacedaemoniorum. (*) Hi enim, vt cuiusque liberos reipublicae progeniem existimabant esse, ita eos etiam publice formari satis omnino perspecte prouidebant. Quod quidem consilium cum ipsa huius ciuitatis prospera et aequabilis, quam diu legibus hisce vtebatur, fortuna laudauerit, non est, quod ei nunc parentemus. Est, est eorum, qui pro salute publica euigilant, dare operam, vt succrescens ciuitas quam optime erudiatur, variaeque tot ingeniorum facultates et voluntates ad vnam omnes normam

(*) PLUTARCHVS in *Lycurgo*. Οὐδὲ ἐξην ἐκάπω τρέφειν, γένει παιδευειν ὡς ἔβλεπο τὸν νῦν, αἷλα παντοῖς ἐνθύς ἐπταστέος γενομένους παραλαμβάνων ἄυτος (scilicet ὁ Παιδόνομος) εἰς ἀγέλας κατελόχυε, καὶ συνόμους ποιῶν καὶ συντρέψεις μετ' ἀλλήλων εἴδισε συμπατέων καὶ συχολαζειν. Non poterat quisquam pro arbitrio suo alero vel instituere filium: sed omnes ut septimum annum excesserunt, conturiavat ipse Paedonus, (qui instituendis et regendis pueris publice erat praefectus) in classes, parique libertate, unoque contubernio colludere inter se et studiis vacare docuit. De Paedonomis et Harmostis, vt et de vi niuersa hac Lacotica iumentis institutione, curate post XENOPHONTEM L. de Lacedaemoniorum republica c. IV. (edit. Leunclavii pag. margin. 676.) agunt NICOL. CRAGIVS de Republica Lacedaemoniorum L. IV. p. 150. seqq. edit. Batav. 1670. et Patrius omni pietate nostro dignissimus, M. IO. VE. MILLER, Prof. et Bibliothec. Vlm. in Diffrctt. de Παιδευτολογίας veterum Graecorum Lipsiae quandam editis. Ceterum laudat scholas publicas QVINCILIANVS in *Instit.* Orat. I. I. c. II. et quis non? Ex aduersa vero parte vituperant multi, non Hobbesii tantum, sed quod grauius est, Melanchthones, Seckendorfii, alii. Aegre ferunt imprimiti non nisi profanos autores terendo (quae nunc quidem fere vana est querela) pretiosissimum tempus confundi, negligi morum probitatem et elegantiam cet. vid. hac de re dextre disputante et erudite D. REINHARDVM in *Miscell.* Lips. Tom. XII. p. 235. vsque ad p. 389. imprimitis vero p. 343. Digna vero lectu quam maxime

mam mature dirigantur. Est praecipuum magistratus munus, eos prouide deligere, quibus mollia ingenia, ea forma, quam publica res postulat, tempestue induenda, tuto concredantur.

His igitur a me stabilitis in eo nunc totus ero, vt, *qua ratione conformari debeat, cum ad cuiusque singularem, tum vero etiam ad publicam omnium utilitatem, scholastica institutio*, breuiter exponam. Non omnia, sed pauca tantum, attingam. Illud enim, ab homine, variis nouisque rebus distracto, requirere, paullo iniquius esse videretur. Mensem potius bonam et animum docilem significasse, erit satis, aequos apud iudices, excusasse. Sed redeamus in viam. Vt autem ordine incedamus, commodum videtur, ipsi studia, eorumque alumnos, in tres veluti cateruas dispertire. Primum quidem eas oculis disciplinas subiiciemus, quae omnibus temporibus et pueris singulis accommodatae atque necessariae sunt. His lustratis, ea *deinde* studia proprius considerabimus, quae saeculi genius postulat. A quibus *denique* ad illa deueniemus, quae omnium quidem temporum, at non omnium aequae hominum habebuntur.

Simus

maxime sunt, quae subtilis ingenii vir I.P. de CROVSAZ in *Traité de l'Education des Enfans Tome I. Chap. IV.* p. 361. *des instructions publiques in medium profert.* Ex quo, LUTHERO, ERASMO, SADOLETO, STYRMIO, BARLAEO, RICHERIO, FENELON, LOCKIO, ROLLINO, FLEVARIO, aliisque, quorum loca ille faciebat, quasi interpres testesque, excitat, multa hue transcribere potuisse, quae ornare tenuem humum ingenii mei foetum potuissent, et reddere firmorem. Monstravit mihi etiam Patronus demissi colendus, in via librum, qui inscribitur: *de ratione studii, degue vita juuentutis instituenda, opuscula diuersorum auctorum, per quam erudita Basl. MDXLI. 8.* Plura, qui denderet, petat ex iis, quos vix ἐν ἀρχαιοῖς ΒΥΔДЕВS laudat in eruditiss. op. *Ioseph. L. I. c. III. f. XX. p. 62. sq. et Ven. WALCHIUS in Lex. Philosoph. voc. Schule.*

Simus autem in verbis diuisioneque faciles, et potius operam dabimus, ut de re ipsa inter nos conueniat.

Primo loco ea placuit studia ponere, quae nullo tempore negligere cuiquam mortalium liberum est. Ea vero sunt illa, quae ex ipsa hominis notione sua sponte fluunt. Quid enim est, quaesumus, homo, si eum cum reliquis creatis rebus consideratius contenderis? Est reliquarum profecto omnium excellentissima, et illustribus multis diuinæ pulchritudinis signis, dotata natura, quae gaudet mirifica potestate intelligendi, et quid in rebus ceteris veri boniue insit, vi tollerter perspiciendi. Eequid vero vidisse faltem conduceret? Iuncta est illi virtuti in homine alia, nimirum ea, qua verum et bonum appetit, sensuque illius impensius delectatur; quoque abhorret a falso, et a re omni, quae mala ipsi videtur, immo maius bonum maximopere minori anteferre consuevit; factus est solus practerea, ad colendum cum sui similibus societatem. Et, quod praecipuum est sane, admirandum hoc opificium immortali mente regitur, cuius sensus sive grati illi sint, sive ingrati, nunquam tamen intermoriuntur. Magna in uno homuncio molimina! magnus apparatus! Ingentes vero hos sumtus, qui sine grauiori cauſa a summa conditoris sapientia factos dixerit, nae eum parum sibi ipsi constare oportet. Absit a nobis hoc, et id absit quam longissime, vt abiectius deo o. m., quam de sapiente homine, quidquam sentiamus. Paucis dicam quod res est: unus mortalium quisque ita a natura instructus est, ut diuini auctoris maiestatem, animo, quantumcunque potest, capiat, totaque vitae ratione exprimat; nec ullus est, quem indulgentissimus generis nostri parens felicitatis summae participem fieri non velit.

Haec

Haec quum omnibus communia sint iura, tria iam efficiemus ex his, quae attulimus. *Primum*, omnes illas humani ingenii dotes, non solam memoriam, quod a multis fit perperam, tempestiva cultura exornandas esse; *Secundum*: omnibus omnino hominibus, iisque teneris adhuc, hoc, quidquid est vel officii vel beneficii tribendum esse summa fide, et in scholis id quidem publicis: *Terrium*: praeparanda esse ad colendam societatem mollia ingenia. Iam quaenam illa sint studia, nulli obscurum est. Sunt vero haec omnia fere, quae de D E O o. M., de hominis mente perficienda, de mutuis hominum inter se officiis, et denique de iis omnibus praecipiunt, quae ad felicitatem cum hominum singulorum, tum societate quadam inter se coniunctorum, pertinent, et scitu quam maxime necessaria sunt. Num artis vocabulis eas disciplinas adornabo? Nostis Theologiae et Philosophiae partes, non ignoratis linguis.

Praeclaras istas, quas modo commemoravi, mentis facultates, nobiscum omnes adferimus, at, quod funesto humani generis malo accedit, mirum in modum depravatas ac deformatas. Neque tamen parcant in tanta calamitate nostra actati tenellae, natu nobis maiores, eo in nos iniquiiores, quod parvas mali intestini vires per ea amplificant, quae ipsi quotidie in se ipsis sentiunt, morbum difficilem inexpugnabilemque reddere. Insuffras nobis nutricula errores cum cantilenis, quibus vel delectare, vel terrere flexible ingenium, didicit. Cum pleraque omnium facilime imitamur, pessima persaepe exempla habemus. Quantum insit in rebus creatis, quibus cingimur, ad voluptatis in nobis sensum excitandum, sat cito discimus; at, quantum faciant ad venerationem pietatemque in summum numen, aut

B. ut. 15. ann. 16. 107 cui

cui usui illae sint mortalium generi, vix unus et item alter docetur puer. Quid cunctamur igitur? Quid deliberando tempus, quid salutem negligimus? Aeger est tuus filius, ipsaque in mora satis iam periculi inest. Trade, heus, pia mater, puerum medicis, qui malum pellant suis sedibus, et hominem sibi ipsi similiorem denuo reddant.

Remedia vero, omnibus hominibus, et puerili in primis aetati accommodata quum circumspicimus, quae ad corrigenda haec vitia naturae aptior sit atque efficacior medicina, praeter sanctissimam IESV CHRISTI, domini nostri, disciplinam, alia omnino nulla est. Ininitetur enim illa, vt scimus, rebus a gloriosissimo Sotere in salutem generis humani gestis. Illae a diuinis historicis facili et plano dicendi genere perscriptae sunt, atque ita instructae, vt ipsa simplicitate sua diuinus earum splendor magnifice eleuetur. Explicemus ergo statim *historias sacras* tenellis nostris, bono suo curiosis, et auidae ipsorum memoriae concredamus. (*) Qua quidem ratione cum et vernaculae linguae, et rerum multarum cognitione perfecerit, attentiorque ad res utiles fuerit redditus Timotheus noster, pedem cum ipso promouebimus, et praecepta primum ea, quae *mores* formant, deinde illa, quae CHRISTVS fidelibus suis *credenda* proposuit, ex sacris historiis collecta, puerulis attemperemus. Sufficient illa, vt opinor, ad veram et solidam pietatem animo instillandam. Qua quidem pietate vt totus perfundatur, et optandum est maxime, et summo quoque studio enitendum. Utendum enim ea est aetate, quae nec tot mala

(*) Gallorum hoc maxime prudens est consilium, FENELONII in primis, et FLEVRYI, cuius notus est *Catechisme historique contenant en abrégé l'Histoire Sainte, et la doctrine chrétienne*, à Paris 1683. in 12, at pro dolor multo est lolio romanensi corruptus.

mala vidit exempla, quōt eorum, qui longius in via iam progressi sunt, nec totidem tamque fortibus cupiditatibus exagitatur. Est vero *pietas*, quae omnium prima occupare animum nostrum debet, non austera certe, nec tristis facies, sed hilare ad morum innocentiam et omne virtutis decus inuitans boni rectique studium. Atris pingue coloribus vitii deformitatem inueni, virtutem e contrario suauui oratione commenda; perhorrescit haud dubie puer tetram istius monstri faciem, huius vero forma admirabiles in eo sui amores excitabit. Vt de creatoris et vniuersarum rerum conseruatoris, Salvatoris item O. M. beneficia in diuinis historiis proponuntur, ita illa identidem inculca; quod si fiat, diuina ille gratia excitatus, incredibilem parentis optimi fratrisque sui amorem certissime amabit.

Pietate emollitum et praeparatum iam habes discipulum, habes obedientem et rebus arduis non mediocriter initiatum. Tum vero tutius te sequetur ad altiora ducem. Iam in Latium Graeciamque cum ipso migrandum est. Scio equidem, multos in ludis nostris inueniri, qui vitae postea genus eligunt, quod *Romanorum* et *Graecorum* prisa *lingua* carere potest, at quam necessaria illa saltē sit, et non nisi sensim sensimque addiscatur, necesse est, ut mature puerorum memoria, multis nondum rebus repleta, ea instruantur. Hanc vero vix per decennium in scholis capi a pueris, etiam si omne tempus ferme inculcanda illa consumatur, mirari multos et grauiter conqueri, in vulgus est notum. Non excusasse, non imminuisse, quod fieri vtique posset, hoc quidquid est virii, sed sustulisse illud; quantum fieri potest, iuuabit. (*) Commendant autem viri prudentes

(*) Fuerunt multi, qui laborem addiscendae linguae latinae pueris facilioriem reddere, varia arte, studierunt. Vidi v. c. Guelserbyti, in iti-

tes et scholasticarum rerum in primis periti, inter quos Ex-
cell. GESNERVM honoris causa nominasse sufficiet, sacras
illas HVBNERI historias, Castellionis verbis, ex vernacula
in latinam linguam translatas, aut D. epistolas IOANNIS,
cum pueris tractandas. Quod eorum consilium, miror, no-
stra aetate sequitos nondum omnes fuisse. Explicare con-
tra germanicis vocibus iubetur iuuenis eos libros, qui, cum
pleni sint rerum, ob temporum rationem, peregrina in-
stituta, et veterem bellandi rationem, difficilium, aegre a
viro intelliguntur, easque ex illis phrases anxie discere,
quae iis rebus et studiis, quae nunc maxime inter nos flo-
rent, minus esse idoneae videntur. Voces singulas vel e
Lexico quodam ignobili vndiquaque et laboriose conquire-
re, vel ex libro, in quo naturae nullus, sed alphabeti tan-
tum ordo seruatur, memoriae mandare, magno sudoris
dispendio cogitur. Quae enim, amabo te, quae cognatio
est, qua sua sponte puer ad similem priori vocem cogita-
tione feratur, inter haec v. c. vocabula; *a, ab, abacus, ab-
domen, abies, abstemius, accipiter, ac, aco.* cet. At tu in
manus ipsi libellum trade, in quo vel fabulae narrantur, vt
PHAE DRVM aut CAMERARIVM, vel historiae, quae
inter homines, non principes quidem aut heroas, sed tales,
quales nos sumus, contigerunt, et quorum mores facile ad
nostros applicari possunt, tum illud sane negotio nullo ob-
tinebis, vt non verborum modo et integræ orationis sen-
sum

itinere, LAMBERTI THOMAES SCHENCKELII DVSILVII Metbo-
dum, seu Declarationem, in specie, quomodo Latina lingua sex mensum
spatio doceri et ab adolescentibus octodecim aut plurimum annorum posse
addisci. Argentor. 1619. Quodnam vero ipsum sit auctoris con-
suum, nescio, id tamen probe scio, eiusmodi libros magis bibliopolarum, quam dissentium, esse compendia.

sum assequatur, sed ut ad quaestiones quoque, ex iis propositas, latinis verbis respondere tiro incipiat.

Hac via, spero, mirum in modum proficiet discipulus, atque ita quidem proficiet, ut ipsa itineris suauitate ad monumenta veterum perlustranda incitetur. Quum vero non multa, sed multum legisse, in omnibus autem rebus optima elegisse, tantum iuuet, causam ego quidem non video, quare non vnum v. c. CICERO, atque ex Poetis VIRGILIUS, aut HORATIVS, in exemplum adolescentibus proponantur, in quod subinde imperturbati intueantur. Iungatur his vnum et item alter ex probatissimis historicis. Atque hi pauci, si recte explicentur, si, quae subiectae sint verbis notiones, ostendatur, veneres orationis atque reliquae virtutes omnes sigillatim si ob oculos ponantur, aut totus ego fallor, aut satius est, vnum eundemque optimum elegisse ducem, quam modo hunc, modo illum adsciscere, et nouam in dies formam, veteri subinde deleta, ingenio inducere; ex qua mutatione crebra inconstans illud et inconditum dicendi genus enascitur. (*) Graecum linguam eadem ratione addiscendam esse, puto. Quare non est, quod de ea sigillatim hic praecipiam.

Inter haec studia, vellem, ut iuuenis, quasi aliud agendo, in *Philosophiae* consuetudinem pertrahatur. Et quidni illud quam commodissime fieret? Sunt enim in libris veterum, quos laudaui, sexcenta loca, ex omni *Philosophia* deponita. Habes praecepta, quae ad mores perti-

B 3 *Qui* . . . *minimis* *nent.*

(*) Dignus est, qui hic consulatur **JO. LOCKIUS**, Philosophus subtilissimus, dans ses *Nouvelles Instructions pour l'Education des Enfants à Amsterdam*. 1699. in 8. §. 167. p.m. 380. Vtramque in omni institutione facit paginam regulam, quam CRESVATIUS d. l. p. 264. in hanc rem assert: - - - Au contraire, moins de peine pour les enfans, et avec moins de fatigue et plus de progrès, voilà ce qu'on doit toujours avoir en vue.

nent, habes ratiocinia vera et falsa. Siste gradum, si forte il-
lustris quidam locus se offerat oculis. Normam, cui vel re-
spondet dictum aliquod, vel vnde illud deflectitur, plano et
trito sermone tuis expone; deduc eos ad limpidos castos
que humanae cognitionis fontes, e quibus omne verum pul-
chrumque manat; quos si semel nouerint, alia occasione ad
haec ipsos principia reuerti iube, et, num aliquid vel verius,
vel inconcinnius sit dictum, suo marte inuestigare. Tantum
enim interest hominem inter atque psittacum: hic enim vo-
ces solum, ille et voces, et res vna ipsis subiectas addiscit.

Quo facto, nihil obstat, quo minus ipsis Philosophiae
sacris, satis iam exercitatus adolescens suo iure initietur. Hic
vero sententiarum diuortium metuo. Sunt enim, quibus omne
Philosophiae studium adeo exosum est, ut iuuenes suos ab illa
haud secus, atque a monstro bicipiti, retrahere cernantur. Sunt
alii, qui in academiis demum res tam difficiles et ab externis
sensibus remotas, verbo, sapientum mysteria, recludere iuueni-
bus, nobis suadent. Hos, modo a voce illis odiosa abstineamus,
facile meos faciam. Ipsi enim hi viri animum nostrum suis esse
morbis liberandum dicitant, nec errorum plenos se doctores
esse, vlli concedent. Quid? num ipse, quem merito in oculis
ferunt, Romanus Consul, num insanit quaeſo ille, num errat,
aut labitur? Minime gentium. Pulchre is, et omnes cogitant,
scribunt venuste, loquuntur decoro. Regulas ergo certas se-
quuntur (si quidem inest in omni venustate quidam ordo atque
constantia); has autem nostris iuuenibus mature explicandas
esse, statuimus. Quid ergo, amabo te, mali admisimus? Vo-
ce, quae illis non placet, vbi sumus. Illorum vero consilium,
qui academiis Philosophiae studium vindicant, caue, ita inter-
preteris, ac si id vellent, ignorare, labi, errare, liberum esse ho-
minibus nostris, vsque dum e schola in academiam commigra-
bunt.

bunt. Paucis tantum in schola philosophandum esse, grauiter monent, abstinentiusque ab omnibus abstrusis, difficilibus et altioris indaginis quaestzionibus. Bene omnino et sapienter *non scholae, sed vitae discendum esse*, praecipiunt. Prima itaque tantum Philosophiae praecepta humeris imponi debent imberbis iuuenis, ea scilicet, e quibus plurimae res sine ambagibus explicantur, et quae sufficiunt, vt ab erroribus sibi mature caueat, in re quauis verum ipse cernat, et, quaenam causulae sint rerum earum, quae in amplissimo naturae theatro quotidie spectantur, ocius perspiciat; praeterea, vi nunquam ex eo, nisi vacuus vano metu, et diuinae maiestatis veneratione plenus, haud secus atque ex sanctuario, exeat; vt, quae sibi et aliis debet, officia, mature intelligat; denique, vt omnes vitae actus, et quasi totam fabulam, prudenter agere adfuescat.

Seueriora haec studia qua iucundius et vtilius temperentur, praeter *Historiam, Geographiam, Antiquitates, et Mythologiam*, nulla forte alia disciplina reperietur. At, vbi has nostris enarramus, meminerimus, Philosophos nos audire, quibus hae dapes sale conditae, id est, interposita interdum rerum ipsarum diiudicatione apponendae sunt. Hem! *dendi et poemata condendi artis*, oblitus fere videor. At suo, qui ipsis conuenit, loco, Musas mansuetiores considerare hic iubeo. Habet enim nunc adolescens, de quo conscribat aliquid, aut copiose dicat. Idonea rebus verba didicit, et, quae ordinis et pulchri natura sit, perspexit (*).

Qua

(*) Le pauvre Enfant, LOCKRIVS argutie satis d. l. p. m. 386. §. CLXXI.
inquit, qui n'a aucune connoissance des choses, dont il doit parler, (ce qui ne s'acquiert qu'avec le tems et à force de reflexion,) est obligé de mettre son Esprit à la torture pour trouver quelque chose à dire sur un sujet qui lui est entièrement inconnu, en quoi l'on peut dire, que les Maîtres traitent les Enfans d'une manière à peu près aussi tyannique que

Qua exercitatione tantum accedet roboris animo iuuenis, vt iam illorum quoque vim argumentorum, quae veram et diuinam esse Religionem Christianam euincuunt, plenius perspiciat, ita quidem, vt, si diuina acceperit fides, non facile metuendum sit, fore, vt vel astutia, vel impietate saeculi, capiatur (*).

Supra medio loco illa studia constituimus, quae cuiusque saeculo maxime in deliciis sunt, et in laude magna ponuntur. Prudentiae est, quia ciuis es litterariae reipublicae, ad leges illius atque mores te componere, si quidem placere, et reliquam tuam doctrinam ornatiorem, multoque amabiliorum reddere volueris. Quodsi enim eorum sollertia, qui eam, quae plerisque ciuibis in pilei aut calceorum figura, quae in crinibus, ac reliquo corporis habitu, arridet forma, consequantur, nec tam suum, quam publicum iudicium in minutis rebus sequuntur, sua igitur laude non priuamus; quanto maiori dignos iudicare eos debebimus, qui illa maxime studia excolunt, quae omnium iudicio pulchra, et praestabiliora ceteris habentur. Dandum est aliiquid in rebus minime malis genio saeculi. Erat, vt hoc vtar, ante saeculum dimidium homo obsoletus, et ad Cascos Bardosque relegandus, is, qui historiae litterariae sic expers erat, vt sexcenta hominum doctorum semidoctorumque incognita nunc nobis nomina, *Azpicuetarum, Aristizavaliorum, Valen-*

que Pharaon traita les Israélites, en leur ordonnant, pour ainsi dire, de faire des briques, avant que d'avoir des materiaux. rel.

(*) Cui instituto inserviunt OSTERWALDI et SAVRINI *Catechismi*, in vernaculari translati. At sunt in huius libro quedam reformati coetus placita, tanto studio tantaque arte exposita, vt non facile iuueni, parum exercitato, eum traderner. Hoc tamen non obstat, quo minus sapiens et pius praeceptor eo, magno discentium emolumento, vti queat.

Venezuelarum, rel. digitis dinumerare non potuerit; aut, cum librum euoluisset nullum, dirunere e vestigio nesciuerit capitatem illum de *patria Val, Weigelli*, de *auiā Mercurialis* aut *Cardani*, de uxore *Lamp. Alardi*, de *nominis matris lepidi Taubmanni*, quaeſtiunculam. Quae vero hodie ſtudia in hoc orbe noſtro, (qui ſerierum ſuccedentium ſibi et mutabilium omnium) principatum teneant, arbitror, neminem, niſi hominem Diogene Cynico obſcuriorem, ignora-re. Eſt quidem inter ſeuiores disciplinas quaedam, in quam totum incumbere p̄ae reliquis oportet illūn, qui in eo ordine eruditorum non infimum ſemper locum tueri velit: at ſunt tamen alia quaedam vicifim ſtudia, in quibus excellere Theologum, Iureconsulutum et Medicum decet. Dubito, an non maiori iure Metaphysicae, quam vniuersae Philosophiae, primas commode hic dare queam. Nulla enim ferme aetas tam barbara fuit, vt a Philosophia proſus abhorruerint ii etiam, qui quaſi lumina ex mediis tenebris emicuerunt. At ingentes experta eſt ipſius ditio viciſtitudines. Quae vero hodie regiminis forma fit, nec ſutor fere, ſolito callidior, ignorat. Elegantiōres praeterea litteras, quae ingenii maxime aciem requirunt, ceterisque ſtudiorum clarissimum affundunt lumen, meritis et ornamentiſ hominum noſtrorum accenſere, non iniqui proſus indices, posteri, non dubitabunt. Refero huc etiam maiorum gentium linguis, et noſtræ vernaculae culturam. Cuncta autem haec humanitatis ſtudia in ludis minime negligenda eſſe, ex eo ſatis iam patet, quod noſtræ ſcholæ quaſi officinae ingeniorum ſint, in quibus artificum manu tam diu poliuntur ea, donec formam adepta iuſtam, et in publico loco conſtituta, placere omnibus poſſunt, et inferuire iuſcindius.

Reliquum eſt, vt pauca pro instituto noſtro, de tertio genere ſtudiorum, eo ſeſilicet, quod certis hominibus tantum prodeſt, adiiciamus. Iam, cum quatuor omnino ſint tribus, in quas gens omnis erudita diſpēci potest. (*Facultates vulgo appellamus*) iſtud quidem priuata cuiusque re atque publica eſſet futurum, vt quisque ſtatim in ſcholis in iſlis ſtudiorum maxime exercitaretur, quae diſcipuli aptiorem magiſtris traderent iis, qui illas princeps diſciplinas plenius eum edocebunt. Futurus artifex v. c. facilius caret elegantiis

latinae linguae, quam praeceptis mechanicis. Quid dialectus Graeca, quid oratoria ad me? futurum mercatorem querere ex me audio. Non nocent, ego quidem respondeo: at parum satisfacio bono ratiocinatori et homini quaestus iam pleno. Quid igitur? Num in schola quidpiam tractandum, quod vnu suo careat, aut, num agris fucci adhuc plenis, semina sunt committenda, quae aut nulos fructus, aut tenues saltem efferant? Nonne potius e schola, tamquam ex equo Troiano, prodire in rempublicam debent, qui eidem vel doctrina sua, vel arte aliquando profint? Ex his autem angustiis que erumpant, expedita via est. Tractanda sunt ea studia, quae omnibus necessaria sunt et utilia, in publicis horis; quae tempori tantum accommodata censentur, in priuatis; reliqua aut in gymnasii academicis, ipsisque academiis, aut in artificium opificiumque tabernis discenda erunt. Sic aliis quoque, bene de ingenii merendi locum facimus, sic in alienam messem non involvassle, sic maiores nobis, in umbris nostris, spiritus sumfisse, nulli videbimus.

Pauca haec non eo fine a me in chartam coniecta sunt, vt me omnini institutionis scholasticae ambitum descripsisse, et pagellis paucis complexum fuisse, credam. Id enim si voluissim efficere, minus certe aptum tempus imprudens elegissim. Id tantum velim ex rudi hac tabula legant, qui volent, me aliis studiis et rebus magna ex parte hoc usque deditum, et in Academia, quae Goettingae floret, affixum, nunquam prorsus a schola ita alienum fuisse, vt non saepissime ad eam cogitatione reuersus, quid e re illius sit, excutere instituissim. Videant praeterea cordatores, num quid maius ego de ea statuere queam, si eam seminarium, et quasi fundamentum salutis publicae existimem. Sint vilia aliis, sint tenuia, levia sint haec omnia, quae ad scholas pertinent, per me licet; ego vero, quam grauia illa sint, quo magis cogito, tanto fortius sentio. Siquidem non leuis omnino res est, ea in fidem accipere, quae D E O pretiosissima, ac hominibus carissima, habentur, et ea quidem conditione accipere, vt meliora inde et ornatiore efficiantur. Pessime olim nobis enueniet, si nostra culpa tam cara cuique pignora detrimenti aliquid capiant, aut, si vel negligentia, vel mala fide, hominum proximorum de naevis scholarum publicarum querelas nutriamus et augementamus.

amus. Sit tenuis ille grex (etsi mihi carissimus,) quem ad scientiarum et virtutis sacra manuducere debemus; mediocris sit parua familia, cui nos regundae praeficimur, quis nescit, et in minimis, sine quibus magna non fiunt, fidem maximam requiri; aut quis negat, maius imminere in florente iuuenium aetate erroris periculum, quod error annis augetur, et cum corpore maiores identidem vires etiam ipse acquirit? Quare, dum in summam illam fidelitatem, qua D E I hominunque amantissimus Seruator, in omni munera parte versatus est, et in sanctam illam et amabilissimam longe cum iuuentute conuersationem, tamquam in exemplar, intentis oculis intueor; dum illius immortalia erga genus mortalium merita cogito; dum illum diem, in quo ad praecepta et exemplum I E S V C H R I S T I ratio aliquando reddenda erit, tamquam praefensem oculis iam adspicio; tum vero omnia mihi excitanda, D E V M que o. m. in partem munera trahendum mihi esse, intelligo.

Secundum haec, sub oculis patriae Patris indulgentissimi, S E R E N I S S I M I C A R O L I (quem D E V S amet!) Principis magni, pii, felici in his felicissimis versari terris quemcunque, qui munere quodam fungitur, cogito, cuius ad sacrum venerandumque exemplum, pro suo quisque modulo, componere se debet, si non profus indignus nec ingratissimus reipublicae optimae cuius haberi velit. Sit modo saluus Princeps sapientissimus, cuius salute salus publica continetur, et cuius spiritus omne hoc corpus souet, gubernat, ac tuerit incolume. Iubeat dominus terrarum, D E V S, vt tam benefici fideris occasus quam longissime remotus sit ab ortu illius. Quid enim maiori cum contentione omnes optaremus, quam vt ille, quem non vt ducem tantum ad felicitatem, sed vt diuum quemdam tutelarem optimus cuiusque suspicit, a communibus fati legibus eximeretur; atque, cuius immortalia merita et facta praedicantur, immortalis ille etiam patriae pater, congratulantibus bonis omnibus, existeret?

Reliquum est, vt Illustri huius urbis Senati, deuenerandis Scholarchis, gratum animum, pietatemque et obseruantiam publice spondeam. Atque hic non illud a me requiri intelligo, vt, quam bene ipse officium hoc mente complectar, verbisque illud pulcherissimis describere queam, significem, sed id potius, vt totus sim in pra-

stanta fide atque in colendo succrescentis ciuitatis agro; id enim fecisse, (faciam autem DEO una mecum operante) Patribus huius ciuitatis conscriptis non ingratum me praestitisse fuerit. At, quando ipsis denicissimum priuato quoque sum officio, fauore scilicet illorum exornatus, operam omnem adhibeo, vt, vel eo etiam nomine digniore me in dies insigni eorum beniuolentia reddam. Et quid multa? Nec sanctior ego vlla, nec humana disciplina vel mediocriter emollitus essem, nisi ipsis illorum egregiis studiis meritisque insignibus atque exemplis, ad praeclara quaenam euocatus, excitarer, et ad merendum optime, extimularer.

Trahit me iam veneratio atque amor ad Collegas exoptatissimos. Inter quos conspicuo viros, graues annis et meritis, eo iam laudis esse prouectos, quo, vt ipse aliquando perueniam, et optandum maxime, et summa quaque contentione enitendum mihi erit. Qui vt porro prudentia atque mutuo me adiuuare studio et amore, benivole velint, per communis scholae nostrae salutem, qua nihil nobis antiquius est, eos obtestor. Ea scholae salus sacrum sit illud signum, quod nos cuncti sequemur, ea vel sola coniunget fortius animos nostros, quam cognatio et consuetudo vetus; si quidem, quia nos omnes hanc reipublicae sobolem certatim amamus, cum oculi nostri, nostrae curae, vota, labores, et, vt verbo dicam, omnia nostra studia in hac vnicie defixa sunt, tum vero ita mentes nostrae vniuersitatem necessere est, vt non nisi forma et corpore disiuncti esse videamur, adeo iisdem mouebimur et agitabimur amoribus, iisque defideriis et oblectionibus, quasi spiritus in nobis omnibus unus esset. Tum vere dicetur illud de hac schola, quod olim **TULLIVS** de patria dixit, *omnes omnium caritates una complexa est.*

Denique, si id nunc promisero, me in hac optima ciuitate, et eruditissimorum honestissimorumque virorum domicilio, omni obseruantia et studio culturum perpetuo omnes bonos esse, nihil profecto fecero, quod non sua sponte unus quisque ab homine expectauerit, qui, vnam esse familiam ciuitatem et virorum optimorum coetum, reputat, cui quidem iungi felicitas, placere autem velle, summa iam laus est.

Faxit **DEVS O. M.**, vt omnia nostra studia in sanctissimi nominis sui gloriam, et salutem hominum multorum cedant. Dab. Helmstadii a. d. xxv. Sept. A. O. R. S. cccc.



DD A 6427

ULB Halle

002 927 292

3



WDA8

R



B.I.G.

Farbkarte #13



M. IOANNIS PETRI MILLERI
SCHOLAE HELMSTADIENSIS RECTORIS
DE
OLASTICA INSTITVTIONE
NE AC SAPIENTER AD PRIVATAM
CVIVSQVE ET PVBLICAM VTLI-
TATEM COMPONENDA

PROGRAMMA

AVSPICII CAVSSA EDITVM.



HELMSTADII

PIS EXSCRIBEBAT MICHAEL GVNTHER LEVCKART.